

Q. 174. Quæ notari possunt de adoratione, et Elevatione Corporis et Sanguinis Christi, quæ fiunt immediate post Consecrationem?

R. I. A primis sæculis adoratio SS. Corporis et Sanguinis Christi post Consecrationem in usu fuit, sed non semper eodem modo præstata fuit.

Celebranti primitus præscripta fuit, post pronuntiata verba Consecrationis, adoratio per salutationem, capite inclinato, et post sæculum XIV tantum introducta fuit genuflexio qualis hodie observatur.

Circumstantes fideles vero inclinati jam erant a principio Canonis, et remanebant inclinati usque ad ejus finem; imo, in Cærimoniali Romano edito sub Gregorio X († 1276), præscribitur ut omnes prosternent se ad terram, et adorent reverenter in faciem cadendo, et sic prostrati maneat usque ad *Pax Domini* ante *Agnus Dei*; unde hodie observatur genuflexio usque ad hunc Missæ locum in Missis quibusdam, ex. gr., in pluribus Missis ferialibus, et in Missis de *Requiem*.

II. Elevatio Corporis et Sanguinis Domini, immediate post Consecrationem, primitus in usu non fuit sed in fine Canonis, ante *Pater noster*, Corpus Domini cum Calice simul levabatur; de hac dicetur postea. Hæresis Berengarii († 1088), qui realem Christi in Eucharistia præsentiam inficiebat, causa fuit occasionalis ritus Elevationis post Consecrationem, qui introductus reperitur in Gallia sæculo XII, et ubique usitatus sæculo XIII. In quibusdam regionibus primitus sola sacra Hostia ad adorationem levabatur, sed a sæculo XIV, ritus Elevationis Hostiæ primum, deinde Calicis, generatim præscriptus fuit et ubique observatus.

III. Ab ejusdem sæculi XIV tempore, ut major honor tribuatur Sacramento, varii introducti fuerunt usus: 1º accendendi, ultra luminare pro totius Missæ celebratione requisitum, in Missis privatis, intorticum, quod non extinguitur nisi post Communionem (cfr. Ritus celebrandi Missam, Tit. VIII, n. 6; et Tractatus de celebratione SS. Missæ Sacrificii, Q. 64); in Missis solemnibus vero, duo saltem intorticia, quæ extinguntur, vel post Elevationem Calicis, vel post Communionem, pro diversitate Missarum (Ritus, ibid. n. 8);

— 2º incensandi SS. Sacramentum in Missis solemnibus, ter ad utramque Elevationem (Ritus, ibid. n. 8);

— 3º pulsandi campanulam ad unamquamque Elevationem, vel ter, vel continuata (Ritus, ibid. n. 8), quo fideles præsentes ad Sacramentum adorandum excitantur; in multis Ecclesiis quidem sub Sacro solemani tunc pulsatur turris campana, ut populus extra Ecclesiam, in domibus et plateis ad divina Mysteria adoranda provocetur; — 4º omnem cantum intermittendi, ut cantores, interea dum elevatur Sacramentum, cum aliis adorent; organum vero, si habetur, cum omni tunc melodia, et gravitate pulsandum est.

Q. 175. Da breve compendium primæ Orationis in tertia parte Canonis.

R. Incipit tertia pars Canonis per Orationem, cujus tria sunt membra (cfr. Q. 163). In hac Oratione Sacerdos, facta reali et substantiali oblatione victimæ per Consecrationem, eamdem mox confirmat et perficit, repetita oblatione verbali; et rogat, ut Deus acceptam habeat Hostiam puram, sanctam, immaculatam, jubeatque hæc perferri per manus sancti Angeli in sublime altare, in conspectu divinæ Majestatis: ut omnes participantes omni benedictione cœlesti et gratia repleantur. Per eumdem Christum Dominum nostrum. Amen.

Q. 176. Quæ Mysteria Christi, et quæ Veteris Legis Sacrificia memorantur in hac Oratione? Explica.

R. I. In primo membro Orationis: *Unde et memores, etc.*, memorantur tria ex præcipuis Christi Domini Mysteria, nempe Passio, Resurrectio et Ascensio, quia per ea opus Redemptionis nostræ fuit consummatum et completum; et quia memoria Passionis charitatem nostram inflammat, Resurrectio fidem confortat, et Ascensio spem nostram corroborat.

II. In secundo membro: *Supra quæ etc.*, commendat Sacerdos præsentia sacra dona et data, invocando memoriam trium sacrificiorum, quæ Deus ab origine mundi accepta habere dignatus est; nempe sacrificium Abel, qui obtulit de primogenitis gregis sui; sacrificium Abraham, qui voluit immolare filium suum dile-

ctum Isaac ; et sacrificium Melchisedech, qui obtulit Deo panem et vinum.

Per sacrificium Abel pulchre repræsentatur Sacrificium, in quo Christus obtulit sese tamquam primogenitum per excellentiam : *Primogenitus in multis fratribus* (ad Romanos, Cap. VIII, §.29); idem Sacrificium nostrum apte exprimitur Abrahæ sacrificio, in quo Isaac immolatus, quin vitam amitteret, figura fuit Christi, qui mortuus est, ut resurgeret, et ad novam vitam rediret; denique sacrificium Melchisedech Sacrificii nostri optima figura fuit, nam panem et vinum obtulit, in quo Eucharistiæ expressam pviderunt Ecclesiae Patres figuram.

**Nota.** Liceat hic interponere animadversionem quæ decorrem spectat nostrorum altarium : ex præcedentibus patet, tria Mysteria, Passionis (Christi in Cruce pendentis), Resurrectionis, et Ascensionis Domini, necnon tria sacrificia, Abel, Abraham, et Melchisedech, accommodatas valde et convenientes præ omnibus aliis esse imagines, utpote ab ipsa Ecclesia in Canone indicatas, quæ repræsententur, vel sculpto, vel picto, vel cujusvis artis opere, ad ornatum, sive in retabula, sive in stipite Altaris in quo asservatur SS. Sacramentum.

**Q. 177.** Quæ dici possunt de sensu tertii membra hujus Orationis : « Supplices te rogamus etc. » ?

R. Quæ in hoc tertio et ultimo membro Orationis dicuntur, intellectu valde difficilia sunt : Innocentius III, in Tractatu de *Sacro Altaris Mysterio*, dicit (Libro V, Cap. V.) : « Tantæ sunt profunditatis hæc verba, ut intellectus humanus vix ea sufficiat penetrare ».

Rogamus Deum, ut jubeat hæc, id est, Corpus et Sanguinem Christi, in quantum per nos offertur, et etiam Corpus Christi mysticum, preces scilicet et vota nostra, perferri, non substantialiter, sed repræsentative, per modum commemorantis atque orantis, in sublime Altare cœli, in conspectu divinæ Majestatis, per manus sancti Angeli.

Quis est iste Angelus ? Multi intelligunt, sensu litterali, aliquem ex spiritibus cœlestibus, qui divinorum Mysteriorum celebrationi assistere credendus est, et cui ex officio incumbit sacrificanti adesse, eum adjuvare, dirigere, ejusque preces Deo offerre.

Alii intelligunt ipsum Christum Jesum, qui vocatur

magni consilii Angelus, quique mysticum Corpus cum Deo Patre et Ecclesia triumphante conjungit.

Alii denique intelligunt Spiritum sanctum, « missum » (angelus = nuntius, missus), dicentes hanc Orationis partem correspondere Epiclesi, seu solemnis invocatio- ni Spiritus sancti, quæ in omnibus Liturgiis reperitur.

Sensus litteralis, quo Angelus divinis assistens My- steriis intelligitur, facilior intellectu est, et obvius vide- tur, et pietati valde congruit.

**Q. 178.** Quæ notanda sunt de Commemoratione pro defunctis ?

R. I. Secunda Oratio post Consecrationem inscribi- tur in Canone : *Commemoratio pro defunctis*, et incipit : *Memento etiam, Domine, etc.* Pro vivis ante Consecra- tionem facta fuit Commemoratio, quia ipsi offerunt Sacrificium ; post Consecrationem vero fit Commemo- ratio pro defunctis, qui ipsi offerre non valent, et quibus a nobis Sacrificii fructus applicantur. Orationem ante pro vivis factam, nunc continuari pro defunctis, indicat interjecta vox *etiam*.

II. Hæc Commemoratio pro defunctis in Sacrificio Missæ fit ex Apostolica institutione, sicut plures Sancti Patres perhibent, et in omnibus omnium ætatum Liturgiis reperitur.

Antiquitus in altera ex binis tabulis sibi junctis, quæ Diptycha vocabantur, defunctorum nomina inscribi dictum fuit (cfr. Q. 166) : unde alta voce legebantur pro hac Commemoratione usque ad sæculum XI.

Hæc Oratio non describitur in quibusdam codicibus Canonis, nempe Sacramentarii Gelasiani, forsitan quia non raro cum nominibus ipsa Commemorationis for- mula in Diptychis erat descripta.

III. Describitur hæc Oratio in Canone sequenti modo : *Memento etiam, Domine, famulorum, famularumque tuarum N. et N. qui nos præcesserunt cum signo fidei, et dormiunt in somno pacis.* Tunc ponitur Rubrica sequens : *Jungit manus, orat aliquantulum pro iis defunctis, pro quibus orare intendit, deinde extensis manibus prosequitur.* Antiquitus solebant ad litteras N. proferre nomina defunctorum, pro quibus Commemoratio fiebat, ideoque lit-

160 (Q. 179) *Nobis quoque peccatoribus*

teræ istæ in Missali adhuc appositæ manent ; hodie usu generali negliguntur istæ litteræ, et dicitur continuante : *famularumque tuarum, qui nos, etc.*, ac defunctorum Com memoratio fit tantum post verba *in somno pacis*.

IV. Commemoratio fit pro iis *qui nos præcesserunt cum signo fidei*, scilicet qui insigniti fuerunt signo Crucis, signaculo Sanctæ Trinitatis ; excluduntur ergo qui extra communionem Ecclesiæ mortui sunt, pro quibus Ecclesia non nominatim orat. Videtur tamen quod Sacerdos possit, secluso omni scando, hic privatim orare pro aliquo haeretico defuncto, sub conditione : si forte decesserit in haeresi tantum materiali, adeoque cum signo fidei, et simul fuerit in statu gratiæ.

Congruus et æquus ordo videtur, si Sacerdos memoriæ faciat : 1º animarum pro quibus celebrat, vel defunctorum consanguineorum et affinium illorum qui Missam dici petierunt ; 2º priorum parentum, consanguineorum, affinium, amicorum, et aliorum, ad suam voluntatem.

Insuper hic observari debent, quæ de Commemoratione pro vivis notata fuerunt in responso II ad Q. 166. (Cfr. etiam Tractatus de celebratione SS. Missæ Sacrificii, QQ. 238, 239.)

Q. 179. *Pro quibus orat Sacerdos in ultima Oratione Canonis?*

R. Ante Consecrationem rogavit Sacerdos pro Ecclesia hic in terris militante protectionis auxilium, meritis precibusque Ecclesiæ in cœlo triumphantis ; post Consecrationem pro Ecclesia paciente petivit locum refrigerii, lucis et pacis. In hac tertia post Consecrationem Oratione, quæ ultima totius Canonis est, petit speciatim sibi et adstantibus partem aliquam, et societatem et consortium cum Ecclesia triumphante ; et iterum aliquot Sancti, data hac occasione, commemorantur.

Ad exemplum poenitentis Publicani Evangelii, pectus percutiens, dicit : *Nobis quoque peccatoribus*, vocem aliquantulum ad hæc verba elevans, ad circumstantium attentionem provocandam.

NOTA. Sancti qui in hac Oratione nominantur omnes sunt

Conclusio Canonis (Q. 180) 161

Martyres ; cæterum sunt diversorum ordinum ; Sancti sunt octo, Sanctæ sunt septem.

S. Joannem, qui primus nominatur, verisimilius videtur esse, non Evangelistam, sed Baptisam ; sententiam hanc propugnat post alios Gardellini, in Adnotatione ad Decretum S. Rituum Congregationis, 12 Aprilis 1823 (n. antiqu. 4594, ad 14) ; S. Congregatio, quæ tunc distulerat decisionem, paulo post respondit eo sensu, quod S. Joannes Baptista hic sit intelligendus (Decret. 27 Martii 1824, n. antiqu. 4602, ad 2) ; sed in quarta editione Decretorum anni 1898, utrumque Decretum fuit expunctum, et omissa etiam fuit in Volumine Decretorum IV Adnotatio citata Gardellini ; ita ut pro S. Joanne Baptista remaneat solum auctorum sententia. — Alii putant intelligendum esse S. Joannem Evangelistam, qui, etsi nominatus jam fuerit ante Consecrationem propter Apostolatus dignitatem, iterum hic nominatur propter virginitatis privilegium ; et addunt ipsi ideo adjungi S. Stephanum Protomartyrem, qui ponitur ante S. Mathiam Apostolum, quia etiam merito præcipue castitatis ab Apostolis ad Diaconatus officium fuit electus, ut dicitur in Pontificali Romano, in Ordinatione Diaconorum. — Non obstante expunctione Decretorum, et omissione Adnotationis citatæ, valorem suum retinent argumenta in favorem S. Joannis Baptistæ prolatæ, donec S. Rituum Congregatio expresse aliter declaraverit. (Cfr. Tractatus de celebratione SS. Missæ Sacrificii, Q. 240, III, Nota.)

S. Mathias, electus Apostolus post Christi Ascensionem, non fuit nominatus ante Consecrationem cum illis Apostolis qui recensentur in Evangelii (cfr. Q. 167, Nota) ; ideo hic nominatur, simul cum S. Barnaba, qui discipulus Domini, et S. Pauli socius, ab Ecclesia etiam tamquam Apostolus honoratur.

Sequuntur tunc S. Ignatius, discipulus Apostolorum, secundus S. Petri successor in sede Antiochenæ († 107) ; S. Alexander I, Papa, ordine sextus (vel quintus) post S. Petrum († 132, vel circa 115) ; S. Marcellinus, presbyter, et S. Petrus, exorcista Ecclesiæ Romanæ († versus 304).

Nominantur etiam præclaræ et celeberrimæ Sanctæ omnis conditionis : SS. Felicitas et Perpetua, Carthaginenses († 202) ; S. Agatha, Virgo, quam Panormitani et Catanenses civem suam esse dicunt († 251) ; S. Lucia, Virgo Syracusana († versus 304) ; S. Agnes, Virgo Romana († versus 304) ; S. Cæcilia, Virgo Romana († versus 180) ; et S. Anastasia, Vidua Romana († 304).

Quare isti et istæ, et eo ordine nominantur, difficile est dicere ; in hujusmodi rationibus reddendis, ait Suarez, non oportet immorari, quia hæc et similia sæpe vel casu, vel ex aliqua peculiari devotione possunt accidere. (In IV, disput. 83, sect. 2, n. 17.)

(Cfr. Tractatus de celebratione SS. Missæ Sacrificii, Q. 240, III, Nota.)

Q. 180. Quæ datur, explicatio verborum conclusionis Canonis : « *Per quem hæc omnia... et præstas nobis* » ?

S. LITURG. TRACT. DE RUB. MISS.

II

R. Finita Oratione : *Nobis quoque etc.*, quando novæ fruges, fructus, uvæ, fabæ, necnon mel, oleum, aliaque id genus benedicenda erant, olim ante Altare hæc collocari solebant, et ad hunc Missæ locum a Sacerdote benedici ; ac terminata benedictione solita clausula : *Per Christum Dominum nostrum*, mox addebatur Oratio : *Per quem hæc omnia etc.*

Et revera in Sacramentario Gelasiano præscribitur, in Festo Ascensionis Domini, ad hunc locum, benedictio novarum frugum fabæ ; in aliis antiquis codicibus præscribuntur, in aliis festis, benedictiones aliorum fructuum, ex. gr.. uvarum ; et hodie dum hujus antiquæ consuetudinis quædam quasi reliqua est, quod Feria V. in Cœna Domini, Episcopus, priusquam dicat : *Per quem hæc omnia etc.*, descendat de Altari in presbiterium, et ibi benedicat Oleum infirmorum ; quo facto, continuat Missam ad prædicta verba.

Etsi videantur itaque hæc verba referri ad novas fruges benedictas, certum tamen est, quod in omni Missa, etiam sine benedictione frugum, semper ea fuerint dicta, et debeant etiam, et quidem principaliter, referri ad Christi Corpus et Sanguinem ; et in hoc sensu sequens datur horum verborum explicatio :

*Per quem* (scilicet Christum) *hæc omnia*, Domine, *semper bona creas* : Deus enim Pater per Filium, per quem omnia facta sunt, creavit hæc bona, nempe panem et vinum (quorum accidentia adsunt) in Christi Corpus et Sanguinem conversum ; — *sanctificas* : sunt enim nunc dona sacra, ab usu communi semota, quæ ex usu profano in sanctum transierunt ; — *vivificas* : per verba Consecrationis, quibus substantia panis et vini convertitur in substantiam Corporis et Sanguinis Christi, qui est panis vivus et vitalis, vitam præstans homini ; — *benedicis* : quatenus hoc Sacrementum est fons omnis gratiae et benedictionis ; — *et prætas nobis* : ea nobis Deus largitur, ut nobis sint vera vita, per Communione, qua gratia et omnibus bonis replemur.

Uno verbo, confitemur quod Sanctissima Eucaristia, omnia bona continens, nobis paratur et datur a Deo per Jesum Christum.

Q. 181. *Expone sensum verborum conclusionis Canonis : « Per ipsum, etc. »*

R. Proclamamus per hæc verba quod Sacrificium Missæ tribuit Sanctissimæ Trinitati honorem et gloriam maximam. Rationem habent Doxologiae, scilicet : Deo Patri est omnis honor et gloria, per Filium, cum Filio, in Filio, in unitate Spiritus sancti, per omnia sæcula sæculorum. Amen.

Dicitur : *per ipsum* : Christus enim Deus et Homo verus est mediator Deum inter et homines, per quem adoratio creaturæ Patri et Spiritui sancto accepta est ; — *cum ipso* ; quia Deus et Deo æqualis, qui a Patre et Spiritu sancto separari non potest, sed cum ipsis simul adoratur et conglorificatur ; — *in ipso* : quia Filius Patri consubstantialis est, et unus est Deus cum Patre et Spiritu sancto.

Hæc in honore Christi Doxologia antiquissima est, testata monumentis initii sæculi secundi. (Cfr. Cabrol, *Le livre de la prière antique*, I vol. 12<sup>o</sup>, Paris 1900, pag. III. Cfr. etiam id quod dicitur in Nota ad Q. 185.)

Q. 182. *Quæ est ratio cæremoniæ quæ fiunt dum hæc verba conclusionis Canonis pronuntiantur ?*

R. NOTA. In præsenti Tractatu parum aut nihil dictum fuit de Missæ cæremoniis, quia de eis agitur in Tractatu de celebratione SS. Missæ Sacrificii ; cum tamen quæ ad hæc verba conclusionis Canonis præscribuntur cæremoniæ tam singulares sint et solemnes, et ad intelligentiam dictorum possint conferre, de eorum ratione pauca hic addere juvat.

I. Ad verba : *omnis honor et gloria*, fit Elevatio Corporis et Sanguinis Domini simul ; hæc olim solemnior erat et unica Elevatio, pro qua velum, quo a principio Canonis ab oculis assistantium obnubebatur Sacerdos (cfr. Q. 155, II), retrahebatur, et Corpus et Sanguis Domini populo ad adorandum ostendebatur ; sed ex quo sæculis XII et XIII instituta fuit Elevatio, et adoratio immediate post Consecrationem (cfr. Q. 174, II), præsens Elevatio, in quantum est Elevatio, minus solemnis est ; deficiente enim adorationis motivo, non ita alte elevatur Sacramentum ut a populo videri possit.

Antiqui ritus Elevationis vestigium remanet in quibusdam regionibus, nempe in Gallia, et etiam apud nos, consuetudo pulsandi campanulam, cum Sacerdos elevat parum Hostiam et Calicem; hoc autem a Rubrica Missalis non prescribitur. (Cfr. Tractatus de celebratione SS. Missæ Sacrificii, Q. 242, Nota.)

II. Hæc Elevatio primitus facta fuit per totum tempus quo dicebantur verba: *Per ipsum.... honor et gloria*; et in Sacramentariis aut codicibus ante sæculi IX finem scriptis nullum Crucis signum notatur nec prescribitur. Sed ut præclarus exprimeretur quod idem Jesus Christus elevatur qui in Cruce fuit immolatus, a sæculo IX fuit introductus usus faciendi signum Crucis cum Hostia super Calicem Sanguinis; unde necessario repositus tenebatur Calix super Altare ad primam partem Doxologiæ, et tantum fuit elevatus cum Hostia, post signa Crucis facta, ad verba: *omnis honor et gloria*, ut quod ore exprimitur, actione simul symbolice demonstretur.

Signum Crucis nunc fit ad nomen singulæ ex Personis SS. Trinitatis, sed propter trinam prolationem pronominis Christum designantis, ter fit signum cum Filius nominatur; insuper ad nomen Filii, cuius pretiosissimus Sanguis in Calice continetur, signa Crucis fiunt super Calicem; ad nomina vero Patris et Spiritus sancti, deficiente hac ratione, fiunt extra Calicem, inter Calicem scilicet et pectus Celebrantis.

Q. 183. Qua voce dicuntur ultima verba conclusionis Canonis, et quare?

R. Sacerdos, qui totum Canonem submissa voce recitavit (cfr. Q. 162, I), ultima verba conclusionis, scilicet: *Per omnia sæcula sæculorum*, elata voce, et in Missis cantatis in cantu profert, ita populum adstantem quasi invitans, ut consensu suo ea confirmet, quæ omnium nomine Sacerdos in Canone ad honorem et gloriam Dei effatus est, et etiam postulavit; qui consensus a populo, vel populi nomine exprimitur verbo *Amen*, eadem elata voce, vel in cantu dicto.

## CAPUT X

## DE ORATIONE DOMINICA ET ALIIS USQUE AD FACTAM COMMUNIONEM

Q. 184. Exponere quare, et quomodo Oratio Dominica dicitur in Missa.

R. Finito Canone per verba: *Per omnia sæcula sæculorum. Amen*, incipit præparatio ad Communionem.

I. Præponitur sanctissima, pulcherrima, necnon efficacissima omnium orationum, Oratio videlicet Dominica; hæc ex institutione Apostolorum in Missa dicitur, et in omnibus Liturgiis reperitur ante vel post fractiōnem S. Hostiæ; S. Gregorius Magnus statuit ipsam in Liturgia Romana dici immediate post Canonem, ante fractionem; in quibusdam Liturgiis solebat dici ab omni populo; in Romana dicitur vel cantatur a solo Sacerdote, sed ut populus suam in ejus recitatione partem habeat, Minister vel Chorus dicit vel cantat ultimam petitionem: *Sed libera nos a malo*.

II. Præmissa ordinaria invitatione ad orandum, verbo: *Oremus*, ante ipsam Orationem a primis temporibus ponitur breve quoddam pium exordium, seu devota præfatiuncula, in qua Sacerdos in spiritu humilitatis protestatur, se, nisi ipse Christus Dominus monitis, præceptisque fiduciam addidisset, non ausurum fuisse Deo dicere: *Pater noster*. Formula præfatiunculæ quam hodie dicimus: *Præceptis salutaribus.... audemus dicere*, jam nota erat tempore S. Cypriani († 258).

III. In fine Dominicæ Orationis Sacerdos dicit: *Amen*, submissa voce: non hanc omittit, quia apud Evangelistam clauditur Oratio hac voce *Amen*; sed submissa dicit voce fortasse ob eam rationem, quia ultimæ petitionis continuatio quædam est Oratio: *Libera nos, etc.*, quæ proxime sequitur.

Q. 185. Da rationem Orationis: *Libera nos etc.*, quæ dicitur post Orationem Dominicam.

R. Oratio *Libera nos, etc.*, non est nisi fusior repetitio,